

sub firmamento collectæ sunt. Atque ita per lineas 91. literalis τζ Εξανμεις expositio continuatur, dum in mysticam et Editionis initium incidas, quod est: Creatura (ergo) cæli et terræ quomodo historialiter ab exordio principij condita sit, legimus &c. et manifeste probat, Editionem Breuilianam vitio Codicum, quos secuta est, ἀνεφάλην esse. Mox Edit. c. 3. post illa verba: quia ecclesia Catholica a Christo — condita esse cognoscitur, Codex interserit lineas 13. Produxitque dominus deus de humo — morte morietur. Et fluuius egrediebatur. Et post verba: in cunctis gentibus missa, lineas 16. Nomen uni physon — qui cursim acta domini exposuit. Ut nihil dicam de frequentibus aliis, aut Interjectis, aut Trajectis brevioribus. Multa sunt praeterea, e quibus lectio edita emendari possit. Ita C. 1. Codex: sed quia mundus instar ecclesie figuraliter est factus, qualiter eius creatio — pro solis voculis: sed qualiter. C. 2. ipsius primum, pro ipsum primum. In ecclesia lucis nomine, pro in lucis nomine. Diuisit quoque pro Discreuitque. Susplicere firmamentum, pro suscipere. Ut spirituales suspicientes pro ibi suspicientes. Quasi inter aquas pro qualiter. Sint in signa pro in signis. Animam uiuam in genere suo, pro animam uiuam tantum: Quando caro nostra pro quando enim caro nostra. In potentia rerum — superbos, pro superbiae. Atque haec satis evincunt, ad novam Isidori edi-

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

tionem parandam magno fore subsidio Exemplar istud, de quo id solum addendum: praefixos esse *Libris* singulis *Capitum Elenchos*, qui neque cum *Editis* ubique conveniant, neque in *Textu* subsequo exacte obseruentur.

CCLXIX.

VI. F. 13.

Codex membraneus lat. Sec. 397— IX. Folior. 86. 4. praeclare scriptus, rubricis distinctus et optime servatus continet: I. *Isidori Hispalensis* illustris Sec. VII. Scriptoris *Libros* II. qui in edit. *Du Breuilii Paris.* 1601. pagg. 543. et 562. his titulis insigniti sunt: *De Nativitate Domini, Passione et Resurrectione, Regno atque iudicio, Et: De Gentium Vocatione*, in praesenti vero *Cod.* unum Opus constituunt, cujus Frontispicium rudem Praesulis picturam exhibet, d. bene precantis, f. librum gestantis cum epigraphe: *Isydorus Episcopus*. Inscriptio Operis: *Incipit Prefatio Uel Capitulatio de Fidei (sic) Catholicae Sive Superdictio Operis ad Florentinam Sororem Suam*. Initium: *Sanctæ sorori isidorus. quaedam quae diuersis temporibus &c. Melius hic praemuntiata et probet, quam in Edit. pronunciata et adprobet. Sequitur Index Capp. LXII. quia etiam Epilogus Operis, nobis Superdictio pro Capite computatur. Titulus C. I. Quia Christus a Patre Genitus est. Initium: Iudaei nefaria incredulitate christum Dei Filium abnegantes &c. Per decursum divisio*

P p p

Capp.

Capp. subinde ab *Editis* variat; quin et ordo; nam, quae in *Edit.* sunt *Capita* IV. et V. nobis invertuntur, et recte quidem, cum enim C. III. et V. agat de Christi Divinitate, IV. vero de tota Trinitate, propter materiae nexum C. V. huic praeponendum videtur. C. praeterea III. longius excurrit, quam in *Edit.* quem *Excursum* hic adscribam: *Sed hinc isti christum non putant esse deum eo quod in monte synai audierunt uocem dei intonantis. Audi inquit israhel dominus deus tuus deus unus est. et iterum ego deus et praeter me non est alius. et illud ego sum dominus. et non mutator. gloriam meam alteri non dabo. Dum ergo hoc legunt perfidiae errore caecati christum deum esse non credunt. Ergo agnoscant proinde illis eo tempore haec praedicata fuisse. Ne forte ab unitate fidei recedentes in multos fidorum deos transfrent. atque idola gentilitatis colerent. Quod et fecerunt. Cum specialiter christum testimonia prophetarum reputant esse deum. Qui haec perpendit, atque observat, de sola haecenus Christi Divinitate agi, facile in eam ibit sententiam, Particulam illam de Divinitate S. Spiritus: *Supere est de Spiritu sancto* &c. quae in *Edit.* C. III. claudit, rejiciendam esse post totam de Christi Divinitate tractationem, atque adeo ad finem illius C. quod in *Edit.* V. in *Cod.* vero meliore jure IV. censetur. Verum confusio huic sola plurium vetustorum *Codd.* collatio ex integro mederi pote-*

rit. Ceterum nec, quae diversimode legit *Noster*, negligenda. Ita C. I. *nobis obstrusi pro novis abstrusi. Quo pater quo genitor pro quo pater genuit. Nec ullatenus pro nec nullatenus. Adsentio, tamen ut Christus — dicatur pro nam et Christus — dicitur* &c. *Librum* II. praeterea *Elenchus Capp. XXVII.* computata simul, quae in *Edit.* dicitur, *Recapitulatione Operis.* Praefamen ad Sororem incipit absque titulo: *Quadam ex parte domini et saluatoris nostri natiuitatem passionem resurrectionem caelique ascensum explicui* &c. Atque hic cum *Nostro* legi malim *populi noui uel testamenti quam populi noui uel ueteris Testamenti.* Capitum distributio hic ab *Edit.* non abit; abit vero non raro expressio sententiae. Ita C. I. habetur: *reliqua contineantur pro contineantur. Iudaei quidam pro qui dum. Talia pertulit pro protulit.* &c. *Lacinia de Formulis Spiritualis intelligentiae* in *Edit.* perperam *Operis* fini adfuta a *Codice* merito abest, qui recte finit: *in quibus habitat in aeternum.* Quae omnia suadent, futuro *Isidori Sospitatori* neque hunc negligendum esse, neque *Cod.* sequentem, quo idem *Opus* indicatur.

II. *fol. 83. Incipit de inde (de Fide?) catholica athanasi.* Non exhaurit haec *Inscriptio* totum, quod sequitur; Primo enim habetur *Symbolum Nicaeni Concilii* cum hoc *Praeloquio*: *Haec est fides catholica, quam exposuerunt patres nostri, Primum quidem aduersus arrium blasphemantem et dicen-*

dicentem. creaturam esse filium dei. et aduersus omnem heresem. Quicumque exsurrexerit contra catholicam et apostolicam fidem quos etiam damnauerunt in ciuitate nicea Congregati episcopi CCCXVIII. Praeloquium istud simile est illi, quod *Labbeo* T. II. *Concc.* edit. *Venet. col. 31.* visum est *Dionysio Exiguo* tribuendum. Formula ipsa *Symboli*, quod singulas dictiones adinet, cum nullo e tribus ibi a *Labbeo* propositis exemplis plene concordat, et adnexa habet, quae sequuntur: *Nos patrem et filium et spiritum sanctum unum deum confitemur. Ita (ut?) in trinitate perfecta et plenitudo diuinitatis sit et unitas potestatis. Nam tres deos dicit qui diuinitatem separat. Trinitas pater deus et filius deus et spiritus sanctus deus et tres unum sunt. Tres itaque personae sed una potestas. Ergo diuersitas plures facit. Unitas potestatis excludit numeri quantitatem. Quia unitas numerus non est. Sic itaque unus deus una fides unum baptisma. Si quis uero hanc fidem non habet catholicus non potest dici. Qui catholicam non tenet fidem alienus est profanus est aduersus ueritatem rebellis est.* Post haec sequitur *Symbolum Athanasio* supra tributum, ut adeo *Codex* noster iis testibus addi possit, qui sistuntur n. II. *Diatribes de Symb. Quicumque*, in edit. *Opp. Athanasii Paris.* 1698. T. II. p. 721. *Symbolum* excipit *Commentarius* in ipsum, sed qui, quod dolendum, jam in versu: *Quia sicut singillatim unamquamque per-*

*sonam &c. abrumpitur, antiquior certe Hildegardiano, qui in hujus Virginis Operibus et in Bibl. PP. Lugd. T. XXIII. p. 596. et Brunoniano, qui T. XVIII. p. 345. habetur, quemque Mauriani post Diatr. suprac. p. 735. repraesentare, inscui ad Brunonem Heribopolit. spectare. Initium ejus est aliquantum corruptum: Quicumque uult saluus esse — Fides dicitur credulitas est ibi credentia. catholicam uniuersalem. quia catholica uniuersalis dicitur &c. Expositionem hanc Brunoni notam fuisse, non uno loco observari potest. Ultima Cod. pagina extat brevis *Dissertatio* de vulgo noto quadruplici S. Scripturae sensu hoc exordio: *Digna* (diuina?) *scriptura in duas diuiditur species id est historicam interpretationem et Intellegentiam spirituales. Historia simplex est. spiritualis Intellegentia tripertita est. id est tropologia id est morum instructio. allegoria id est figurata dicitio. anagogen id est superior intellectus &c.**

Fol. 1. p. 2. manu Sec. XII. adscripta est *LECTIO Evangelii Matth. c. 24. Vigilate &c.* et *Homiliae* loco: *Gregorius de Prelatis et Subditis. Sciendum est nobis fratres karissimi. quod plerumque impetus carnis se sub uelamine spiritualis impetus palliat &c. Finis: in finem. hic saluus erit.* Depromptum ex *Homil. 5. L. I. in Ezechiel.* edit. *Maur. T. I. col. 1207.*

Fol. 2. p. 1. orae inferiori adscriptum: *Liber Hegeñ. ecclesie.*

967

I C O D I C E S

968

Hegenense Collegium Can. Reg. in Dioec. *Wormat.* initia sumfit circa an. 1135. *Hegenebenfe* vero Coenobium O. Cist. in *Hassia* fortasse antiquius fuit. Utriusque tamen aetatem praestans hic *Codex*, ut dictum, longe excedit. Igitur adquisitionem tantum ab alterutro oportuit.

CCLXX. VII C. 26.

i83

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 242. f. currente calamo scriptus complectitur sequentia: I. *Isidori Hispalens.* Ep. Scriptoris Sec. VII. Opus de *Nativitate Domini, Passione, Resurrectione, Regno atque Judicio ad Sororem suam Florentinam.* Ad quam Praefatiuncula incipit: *Quedam que in diuersis temporibus in ueteris testamenti libris pre-nunciata sunt &c.* Opus ipsum: *Judei nepbaria incredulitate christum dei filium abnegantes &c.* ultima ejus verba sunt: *quia thabernaculum dei sancti eius sunt, in quibus habitat in eternum.* Rectius certe, quam in *Jac. Du Breul* edit. *Opp. Isidori nostri Paris.* 1601. f. ubi lacinia p. 579. adfuta evidenter ad alium Tractatum, scilicet ad *Allegorias*, vel plane ad *Eucherii Lugd. Formulas spiritualis Intelligentiae* pertinet. Librarius noster adjecit: *Explicit liber ysidori Toletani.* Vide et *Cod. praeced.*

II. fol. 26. Incipit pharetra fidei christiane contra iniquos iudeos. Dialogus est inter *Ecclesiam* et *Synagogam* constans *Par-*

tibus II. quarum priore errores talmudici refutantur, posteriore constabatur religionis christianae veritas. Praefatiunculae initium est: *Acuite sagittas, implete pharetras ad prosternendas vulpeculas &c.* Libellum hunc in *Hispania* olim repertum, referente *Nic. Antonio Bibl. Vet. Hisp. T. II.* p. 261. typis dedit in 4. absque loci mentione *Gundisalv. Garfias a S. Maria.* Extat et *Lipsiae per Conr. Kachelouen* 1494. 4. Autorem *Hispanum* suspicatur *Antonius*, eo, quod neminem Patrum praeter *Isidorum Hispal.* citet; sed *Echardus* in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 739. mavult illum *Gallum* et quidem Ordinis sui, ex illis *P. I. c. 9.* nobis *fol. 29. p. 2.* verbis: *Quare ergo non statim punitus fuit rex francie, qui non solum derisit sed etiam combussit omnes libros thalmuth in regno suo, et quare non fuerunt puniti fratres predicatorum, qui hoc ordinauerunt?* Dispiciat Lector adhibito tamen in *Consilium Cod. CCCLXV.* ubi Autor *Theobaldus O. P.* audit. Tempus scriptionis inde liquet, quod *P. I. c. 4.* nobis *fol. 28. p. 2.* dicantur *Judaei* jam *mille trecentis annis* clamare, ut de manibus Christianorum liberentur.

III. fol. 42. p. 2. Tractatus contra *Hussitas*, qui *Cod. CCCCXII.* indicatus, ibique in subscriptione foli *Petro de Pulka* tributus est, quique incipit: *Iussit Reuerendissima vestra Paternitas ac metuendissima dominatio &c.* hic sequenti gaudet clausula: *Explicit*